Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31662
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

peccati. aculeus inquit mortis est peccatum.
uirtus autem peccati lex. Verissime omnino.
Auget enim prohibitio desiderium operis illiciti. quan-
do iusticia non sic diligitur. ut peccandi libi-
tas eius delectatione uincatur. Ut autem dili-
gatur et delectet uera iusticia. non nisi diuina
subuenit gratia. Sed ne propterea lex putaretur
malum. quoniam uirtus est dicta peccati. ideo ipse
alio loco uersans huiusmodi questionem. ita inquit.
lex quidem sancta et mandatum sanctum et iustum et
bonum. Quod ergo bonum est inquit. mihi factum est mors?
Absit. Sed peccatum ut appareat peccatum per bo-
num mihi operatum est mortem. ut fiat supra modum
peccator aut peccatum per mandatum. Supra mo-
dum dixit quia et preuaricatio additur. cum pecca-
di aucta libidine et lex ipsa contempnitur. Au-
getur enim concupiscentia. et maiores uires ac-
cepit lege prohibente. nisi adiuuet spiritus gratie.
Hoc est quod dicit ille ipse doctor gentium. Acu-
leus autem mortis est peccatum. uirtus uero peccati lex.
Ecce unde dicit homo. uolo legis seruare man-
datum. sed uirtute concupiscentie mee uin-
cor. Et cum uoluntas eius conuenitur et dicitur non
uinci a malo. quod ei prodest nisi gratia succur-
rente fiat. quod ipse apostolus secutus adiunxit.
nam et cum dixisset uirtus uero peccati lex conti-
nuo subiecit. gratias autem deo qui dat nobis uic-
toriam per dominum nostrum ihesum christum. Ergo et uic-
toria qua peccatum uincitur nichil est aliud quam dei
donum. in isto certamine adiuuantis. Virtus
uero peccati lex. quoniam lex prohibendo auget pec-
cati cupiditatem. Deo autem gratias. qui dedit nobis
uictoriam. per dominum nostrum ihesum christum. Ex tr.
Eug. s. Iohm. c. iii.
Confidite. ego uici mun-
dum. Confidunt. et uicerunt. lnq. n in illo.
Non enim uicisset ille mundum. si membra eius uin-
ceret mundus. Unde ait apostolus. gratias deo qui dat
nobis uictoriam. continuoque subiecit. per dominum nostrum
ihesum christum. qui dixerat suis. confidite quia ego
uici mundum. De collectis autem que fiunt
in sanctos. sicut ordinaui ecclesiis galatie. ita et
uos facite per unam sabbati. unusquisque uestrum
apud se ponat recondens quod ei placuerit. ut

n diffundat spiritus caritatem.

non cum uenio tunc collecte fiant.
Et apostolus paulus potuit uideri de crastino
cogitare. cum dicit. de collectis autem in sanctos sicut
ordinaui ecclesiis galatie. ita et uos facite.
Secundum unam sabbati. unusquisque uestrum apud se po-
nat thesaurizans quod ei placuerit. ut non cum
uenio tunc collecte fiant. His et huiuscemodi
scripturarum locis satis apparet. dominum nostrum
non hoc improbare. si quis humano more ista
procuret. Sed si quis propter ista deo militet. ut in
operibus non regnum dei sed istorum adquisitionem in-
tueatur. Ad hanc ergo regulam hoc totum precep-
tum redigitur. ut et in istorum prouisione regnum
dei cogitemus. in militia uero regni dei ista
non cogitemus. Ita etiam enim si aliquando defuerint.
quod plerumque propter exercitationem nostram deus
sinit. non solum non debilitant propositum nostrum.
sed et examinatum probatumque confirmant. Glo-
riamur inquit in tribulationibus. scientes quia
tribulatio patientiam operatur. patientia autem probationem.
spem. spes autem non confundit. quia karitas dei dif-
fusa est in cordibus nostris. per spiritum sanctum qui datus
est nobis. Permanebo autem ephesi. usque
ad pentecosten. Ostium enim mihi apertum est mag-
num. et euidens. et aduersarii multi.
Quid hic aliud potest intel-
ligi. nisi predicato ibi per eum primitus euangelio cre-
didisse multos. et multos aduersarios eius
de fide extitisse. secundum illud domini. nemo ue-
nit ad me. nisi datum ei fuerit a patre meo.
et uobis datum est nosse mysterium regni ce-
lorum. illis autem non est datum. Ostium ergo apertum
est in eis quibus datum est. aduersarii autem multi.
ex eis quibus non est datum. Vigilate. et state
in fide. uiriliter agite. et confortamini.
Viriliter age. noli dis-
solui. ne sis inter eos quibus dicitur. ue his qui per-
diderint sustinentiam. Ergo qui perdit susti-
nentiam. effeminatus est et perdidit uigorem.
Hoc uiri. hoc femine audiant. quia
in uno uiro. uir et femina. talis in
christo. nec masculus nec femina est. Om-
nia uestra in caritate fiant.

probatio